

hoc studemus ut speciem corporis omnimodis excolamus, dum colorum fucis vel compositione crinium vel  
90 oculorum rotatu vel varietate vestium diversisque aliis  
et exquisitis molitionibus conferre aliquid, ut dixi, decori  
corporis cupimus. Sed quanto magis conveniebat nos  
ad cultum animae dare operam, ubi et pulchritudo vera  
est, et in potestate nostra est cotidie eam si volumus  
95 efficere pulcriorem. Verum nos e contrario omne tempus  
vitae nostrae consumimus expolientes et adornantes  
ancillam diversis ornatibus, dominam vero eius tanquam  
vile mancipium incultam ac foedam sordibus obsitam  
in omni inlucie ac dedecore relinquentes. Cum utique  
100 ob hoc nos Deus excluserit a corporis cura et decoris  
eius augmenta naturalibus terminis cluserit, ne super-  
fluis studiis occupati neglegeremus animae cultum, cuius  
forma et species etiamsi in ultimam corrumpitur foeditatem,  
labore tamen et intentione nostra ad summam poterit  
105 pulcritudinem reparari, et in tantum decoris adduci ut  
non solum admirari a bonis hominibus sed et ab ipso  
etiam rege omnium Deo concupisci possit et amari, sicut  
et propheta ad eam dicit in Psalmis : « Et concupiscet  
rex speciem tuam. »

14. Frequenter quippe accidisse scimus ut etiam ex  
his mulieribus quae in lupanaribus prostitutae sunt, si  
forte aliqua inventa est decora specie, contemplatione  
pulcritudinis, ab aliquo etiam bono viro assumpta sit ad  
5 honestatem matrimonii, quanto magis Deus non contem-  
net neque despiciet animas quae de superna generosi-